



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini Floret, Membri Historia Critica Philosophiae

A Tempore Resvscitarvm In Occidente Litterarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1744

Capvt Primvm, De Cavssis Et Occasione Resvscitandi Philosophiam
Eclecticam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28327



HISTORIAE
CRITICAE PHILOSOPHIAE
PERIODI TERTIAE,
A RESTAURATIONE LITERARVM
AD NOSTRA TEMPORA,

PARS ALTERA,
DE STUDIO PHILOSOPHIAE ECLECTICAE
POST RENATAS LITERAS.

LIBER PRIMVS.
DE RESTAURATORIBVS PHILOSOPHIAE
ECLECTICAE VNIVERSAE.

CAPVT PRIMVM,
DE CAVSSIS ET OCCASIONE RESVSCITANDI
PHILOSOPHIAM ECLECTICAM.



§. I.

Non fatis aequa fortuna gauisam fuisse, quae cum rena-
scantibus literis restaurari quoque coepit, philosophiam, Ordo tracta-
tionis.
ex iis, quae in antecedentibus copiose disseruimus, est
certissimum atque manifestum. Non tamen ad nostra
vsque tempora deformati mansere veri doni huius di-
uini vultus, sed ita superum fauor mortali generi prospexit, vt tandem
rectior et elegantior philosophiae facies enitesceret. Nempe restituta
A 2 tandem

tandem et post multas pugnas victoria potita est philosophia eclectica, eiecta et conculcata sectaria philosophandi ratione. Abiecto enim indigno humana ratione hoc iugo, et contempto seruili auctoritatis et antiquitatis praeiudicio coeperunt magna quaedam et acuta ingenia non aliorum quidem placita, sed sua lumina consulere, principia vera, vniuersalia, certa seligere, conclusiones iis inaedificare, et suae meditationis beneficio proprium atque domesticum sibi philosophiae systema condere; veritates autem per sectas omnes sparsas, separatas suisque dogmatibus iunctas in commodum aptumque systematis sui locum reponere: nihil vero probare et admittere, quod non rationis iudicio et veritatis euidencia sibi demonstratum certumque videretur esse. Et hoc quidem pacto, magni nonnulli et ingenio excelsi atque illustres viri omnem philosophiam emendare innouareque sunt annisi, multo maior pars in speciali scientiarum philosophicarum circulo id tentauit, eo euentu, vt, quae nostrorum temporum est felicitas, apud sanos et rerum intelligentes omnes sectae nomen studiumque velut indignum philosopho merito sit exosum. Et hanc laetam quidem ac fortunatam philosophiae periodum fataque ex voto fluentia iam porro describemus; adiecturi in fine velut auctarium aliquod, quid de gentium extra Europam viuentium philosophia sit statuendum, quaeque illis arriserint placita philosophica paucis enarraturi.

*Eclectica
philosophia
quid desig-
nes?*

§. II. Quid eclecticae philosophiae nomine tituloque intelligamus, ex dictis satis constat: id vero probe tenendum, ne falsam nobis et ineptam eclectici philosophi fingamus imaginem. Nempe ille solus nobis eclecticus philosophus est, qui procul ire iusso omni auctoritatis, venerationis, antiquitatis, sectae, similibusque praeiudicio ad vnam rationis connatae regulam respicit, exque rerum, quas considerandas sibi statuit, natura, indole, et proprietatibus essentialibus clara et euidencia principia haurit, ex quibus iustis ratiocinandi legibus vsus, conclusiones deinde de problematibus philosophicis deducit: hac vero norma posita, in legendis aliorum philosophorum meditationibus ac expendendis examinandisque doctrinarum aedificiis nihil recipit, quod non rationum feueritati et demonstrationis rigori faciat satis. Quo pacto Trus, Rutulusue fuit, veritas illi re omni alia potior est, nec turpius ac indignius aliquid quam iurare in verba magistri. Non extollemus ambitiose, huius philosophandi generis praestantiam, dignitatem et vtilitatem, nec quo modo circa veritates versetur, quibus mediis vtatur, quoue tramite incedat, prolixè exponemus, haec enim et a scopo nostro aliena sunt, et a viris doctis passim copiose tradita, quos consulere oportet eum, qui haec scire pluribus cupierit. Nobis paucis modo monendus Lector nonnulla est, sine quibus inoffenso in sequentibus pede incedere vix licet. Nempe cauendum

a) Prae reliquis legendi doctissimi viri Io. CHR. STURMIVS in Exerc. de Phil. Sectar. et eclect. Phil. eclect. T. I. et ARNOLDVS WIL-

SENFELDIVS Dissertationibus quatuor de philosophia sectaria et eclectica.

dum omnino est, ne eclecticam philosophiam cum syncretistica confundamus, et lucem comparemus cum tenebris. Quamvis enim syncretistica philosophia, cuius indolem naturamque *Parte huius Tomi superiore* luculenter delineauimus, eclecticicos vultus prae se ferat, hancque personam ementiat, ipsa tamen male sana opinionum toto coelo inter se diuersarum conciliatio, et inepta, quae ex hac concordia exsurgunt systemata, nec iis facientia satis a quibus desumpta sunt, nec ad veritatem aliquid conferentia satis produnt, quam fallax larua decipiat, et quanto intervallo ab eclectica philosophia distet. Neque illi quoque eclectici philosophi dicendi sunt, qui ipsam quidem concatenatam systematis alicuius philosophi connexionem sequuntur, in conclusionibus autem nonnullis dissentiunt, quod multos fecisse recentiori aetate, licet veterum Graecorum philosophorum placita receperint, ex iis, quae in superioribus dicta sunt, liquet. Nihil enim isti in ipso systemate mutant, nec principiorum fidem vellicant, sed vel addunt nonnulla vel demunt, et aliter interdum explicant. Pauci quidam ipsorum principiorum veritate in dubium vocata, quaedam reiciunt, et noua surrogant, potiore tamen partem recipiunt, liberioribus autem meditationibus in conclusionibus vtuntur: qui si paulo audentius progredierentur, facile inuisum seruitutis iugum excuterent, at auctoritatis praeiudicium totum abiicere non audent. Hos si semi-eclecticos appellare libet, per nos licebit, modo inter veros eclecticicos non collocentur, a quibus longe absunt, vt memorabili, quod in *superiore Parte* enarrauimus, Nicolai Taurelli exemplo constat. Ineptos autem corrafores, qui sine ordine centones magis consuunt, quam veritates neſtunt, ex philosophantium choris totos eiiciendos, hancque eclecticae philosophiae iniuriam non affricandam esse, Lector facile intelliget, si veram philosophiae indolem considerauerit. Tandem et hos ex isto albo expungendos esse constat, qui eclecticorum philosophorum decreta, opiniones, dogmata coeca fide recipiunt, et vel magistrorum ambitione vel seruilis ingenii timiditate adducti, sectas eclecticae philosophiae somniant. Quod licet omni rationi philosophicae contrarium sit, toties tamen factum est, quoties noua secta caput extollere coepit. Ipsi enim sectarum conditores fuere eclectici, et data opera tritam ab aliis viam reliquerunt. Ast discipuli et praeceptorum ambitione, et inepta admiratione seducti in verba eorum iurantes laudabili via deserta, sectae studium praetulerunt. Quem morem vtinam cana tantum antiquitas, et Graecia atque Latium, seruauisset, nec essent hodie in tanta philosophiae luce, qui dum quauis occasione veram philosophiam iactant, sectam tamen meditantur. Vtinam non recentiorum temporum decoribus obeſſent nouarum sectarum, quae passim audita sunt, et hodie quoque audiuntur, nomina. Fidem eius rei desideranti vna, quae in sequentibus dabitur, Cartesianismi historia, abunde faciet satis. Nempe adeo cara multis est inuentionis gloria, vt nisi sectarum caterua et nominis appellatione gaudeant,

deant, nihil ex detecta veritate sibi esse commodi et iucunditatis statuunt. Qui an philosophi veri mores expriment, lectori iudicandum et ex veteri Graecia exempla minus inuidia, quam hodierna, plena colligenda relinquimus. Quanquam ineptum quoque discipulorum studium sectam ex eclectica philosophia haud raro condere solet. Cuius luculentum exemplum Socratis schola exhibet, quae licet plerarumque sectarum mater fuerit, dubium tamen est, vtrum maior vnquam fuerit philosophus eclecticus Socrate?

*Causas, cur
tam sero sur-
rexit philo-
sophia ec-
lectica.*

§. III. Magnos sane profectus et incrementa laetissima habuisset philosophia, si cum ipso renascentis aetatis suae flore, et initiis philosophandi, quae sub auspiciis restauratae eruditionis politioris cepit, eclectica methodo uti licuisset. Ast aliter euenisse, et ad finem fere seculi XVI depressam et ignotam iacuisse philosophiam eclecticam fata philosophiae, quae seculo hoc habuit, quaeque fusa supra descripsimus, comprobant. Ut taceamus enim, ante Baconem Verulamium vix vnum alterumque, interque eos Iordanum Brunum, infelicem philosophum fuisse, qui innouandae vniuersae philosophiae manum admouerit, eosque, quibus sectarium iugum displicuit, in solo naturalis philosophiae genere aliquid, quod ἐκλεξιμώ saperet, fuisse ausos; etiam in hac philosophiae parte ante Bernardinum Telesium nemo a veterum via recessit: quin is ipse noua sua cum Parmenideis coniungere, quam sine duce ire, maluit. Vnde recte illi facere censendi sunt, qui vera et aperta eclecticae philosophiae initia a Verulamio deriuant, licet noua dare et Brunum et Cardanum ante eum, sed irrito conatu, fatigasse, ex dicendis constabit. Causa autem cur non citius et cum ipsis renascentis philosophiae incunabulis eclectica philosophia caput extulerit haud vna est, sed plures concurrerunt. Et ipsum quidem resuscitatae eruditionis exordium in causa fuisse dicendum est, cur eclectica philosophia neglecta, sectaria triumphauerit. Ex illis enim quae in limine superioris partis de studio reformatorum eruditionis circa philosophiam diximus, manifestum est, viros istos doctos arti criticae, ac antiquitatum et veteris literaturae studio ita addictos fuisse, ut in his eruditionis partibus summam doctrinae laudem ponerent. Cui praeiudicio cum amplissime faueret philosophia Graecanica, quae et veterem eruditionem commendabat, et abunde suppeditabat, ex quo philologiae studio alimenta peterent, dici non potest, quam concitatis gressibus viri eruditi in amplexus philosophiae sectariae cucurrerint; desperantes, fore, ut ex libero philosophandi innouandique cum ratione genere gloriae literarum, quam affectabant, enasceretur. Accedit, quod his studiorum generibus occupati, et in grammaticis, in criticis, in historia veteri ritibusque antiquorum omnem vitam versati atque in puluere forulorum in bibliothecis volutati, tempus sibi tantum eripere vel nequuerint, vel noluerint, quantum ad eclecticam philosophiam suo ex ingenio et improbi laboris pleno aliorum examine fingendam requiritur. Neque dubitamus ignauiam

ignauiam multorum accusare, qui taedia nouarum inuentionum et molestiam meditationis refugientes maluerunt veteres duces sequi, quam sine cortice nauare, nouamque tentare viam. Haud paucos quoque viros cetera praeclaros doctosque ignorantia, quid sit eclecticica philosophia, decipit. Quamuis enim ratio illis dictauerit, non aliam, quam eclecticicam philosophiam, venerando sapientiae naturalis nomine esse dignam, veram tamen eius indolem non pernouerunt, rati satis bene se eclecticice philosophari, si vna secta duce electa, reliquas non contemnerent, sed quaedam ex iis in sua arua deriuarent. Quo pacto Philippum Melanchthonem de eclecticica philosophia statuisse, supra, vbi de eius philosophia actum, ipsius verbis declarauimus. Quamuis autem acutius nonnulli cernerent, et quid ad eclecticicam philosophiam requiratur, intelligerent, ita tamen aliis et magis quidem necessariis detenti sunt, vt lumina sua ad emendam philosophiae conditionem adhibere non possent. Sane dubium minime est, quin, vt acutissime videbat, philosophiae liberiolem restituisset naturam Lutherus, magnus sectarii iugi contemtor osorque, nisi maioribus intentus diuiniorem doctrinam repurgare, et conscientiarum seruitutem soluere fuisset aggressus. Cui par animo magno et fiducia pleno non fuit Philippus, cuius timiditas haud parum contulit, vt in sectaria via haerere pergeret, eius autem auctoritas in ecclesia Protestantium vera causa est, cur tam diu eclecticica philosophia caput, in ea extollere nequiuert. Inter Romanae ecclesiae addictos autem, adeo auctoritatis et antiquitatis praeiudicium seculo XV et XVI, quibus honos esse coepit literis, obtinuisse notum est, vt mirum non sit, contentum veterum, licet maxime rationalem inter exosas artes fuisse relatum, quibus secessum ab ecclesia meditabantur, qui non coeco omnia obsequio recipiebant. Tacemus arctam, quae inter certa illius ecclesiae dogmata et philosophiam sectariam, praecipue Peripateticam, intercedit, connexionem atque concordiam, et pericula alia, quae ab eclecticica philosophandi methodo timenda erant hominibus, quibus nihil intolerabilius, quam ex cathedra praeceptis examen interponere. Illud certum, in eius ecclesiae gremio conatus eclecticice philosophantium obliquis haud raro oculis esse intuitos et pro viribus eos impediuisse, penes quos summa in sacris potestas erat. Id quod vnus Telefii, factorumque philosophiae Telefianae in antecedente parte enarratorum exemplum satis superque demonstrat, comprobabitque funestus tragicusque Iordani Bruni exitus in sequentibus describendus, et Galilaei historia, quanti constiterint facta illius rei pericula. Ita vero deterreri neesse erat illos, qui his sacris philosophicis liberiori operari animo conabantur, vt vel mente premere, vel prorsus suppressimere laudabilia consilia inciperent. Sane longiori tempore quam vno seculo opus erat, vt tam alte radicata praeiudicia, et quae inde enata sunt odia tollerentur; nec hodie in his coetibus desunt, qui non obstante tam clara philosophiae melioris luce, quae virorum praestantissimorum in illa quoque

quoque ecclesiae communionem oculos collustravit, veterum morem retineant, id quod nostrorum dierum docet experientia, quae clarissimo viro FRANC. IOSEPHO GRIENWALDIO ^b querendi occasionem suppeditavit, non fuisse tantum seculo XVI aduersarios et obtrectatores melioris philosophiae, qui neruos philosophis nouum quid tentantibus roserint, eosque variis clandestinisque conuitiis dilaniarint, censuris autem atque dictaturis exagitauerint, sed hodie quoque iuratos Peripati sectatores, (id quod se expertum loqui ait) in liberae et sanioris philosophiae cultores idem audere. Alia quae huc afferi possunt, et in his imprimis eruditissimi literarum elegantiorum aduersus sycophantas Iuuuuienses vindicis ^c testimonia tacemus, cum talia bonis doctisque viris hodie in istis coetibus inuisa esse et detestandum hoc eclecticae philosophiae odium videri constet. Fatendum autem, vbique fere sectariorum philosophorum inuidiam in id manibus pedibusque fuisse connisam, vt molimina eclecticae philosophiae non clamoribus modo et scriptiunculis, sed artibus quoque clandestinis sufflaminaret, id quod sectariae philosophiae historia supra enarrata attendenti luculenter exponet. His cum accederet falsa multorum persuasio, nihil intentatum reliquisse veteres, et ita exhaustisse Graecos philosophiam omnem, vt addi, quod nomen habeat et momentum prae se ferat, possit fere nihil, mirum non est, prima eclecticae philosophiae conamina in ipsa, quod aiunt, herba fuisse suffocata.

*Occasio exci-
tatae philoso-
phiae eclecti-
cae.*

§. IV. Tandem, licet fero, miserta humani generis diuina clementia, vt dispellerentur nubes, et sapere serio discerent philosophi, animos compulit. Scilicet adeo graue visum est sectariae philosophiae iugum, adeo intolerabile inepti philosophandi generis imperium viris cordatis, quibus de meliore luto finxerat praecordia Titan, vt indignabundi tandem id abicerent, irati sibi ipsis, quod tamdiu seruire coeco philosophorum Graecorum obsequio sustinuisent. Quamuis enim et de se modeste sentirent, et veterum doctrinae plurimum tribuerent, recte tamen mentem eorum subiit cogitatio, et sibi rationem inditam esse, et licere non minus ipsis, quod Graecanicarum sectarum conditoribus licuisset. Itaque cum SENECA *non se cuiquam mancipabant, nullius nomen ferebant, multum magnorum virorum iudicio tribuebant, aliquid et suo vindicabant* ^d. Qua in re non auctores modo sectarum omnes exemplo suo praeiuisse recordabantur, vt *Tomo secundo* pluribus demonstratum, sed et commendationes eclecticae philosophiae ex doctorum ecclesiae calamo profectas ob oculos habebant. Eos enim, et inter hos imprimis Clementem Alexandrinum valde hoc philosophandi genus extulisse, licet Syncretisum cum *ἐκλέξει* turpi errore confunderent, in historia philosophiae Christianorum veterum multis locis dedimus probatum. His rationibus muniti hisque igniculis accensi cum in se descendissent, inuenissentque amplissimas ingenii

b) In Albo Bauariae iatrica p. 145. exemplo Wimpinaei, philosophi Paracelsi adducto.

c) IO. CASPERII Vindiciae adu. sycoph. Iuuu. c. 2. p. 6. seqq. d) Ep. 45.

ingenii optimi magnaue iudicandi acie instructi diuitias enata inde est cogitandi philosophandique confidentia, qua nouum tentare iter et ad veritatem cognoscendam suo Marte grassari ausi, dici non potest, quanta celeritate in eo cursu profecerint. Plurimum autem ad laudatissimos conatus contulit, quod et nauos philosophantium intelligerent, et imprimis praëiudicia detexissent, quibus velut compedibus philosophos haëtenus vinxerat philosophia sectaria. His enim ruptis et abiectis ita horruerunt superstitionis, ignauiae, obsequii imperium, vt omnibus, quibus licebat, viribus in libertatem se vindicarent. Cuius rei specimen non aliunde vel iucundius vel vtilius hauriri potest, quam a magno VERVLAMIO, vero eclecticae philosophiae parente, qui in *nouo Organo*, libro bonae frugis et feminum philosophiae verae et liberae pleno id ante omnia egit, vt idola ista, quibus adorandis occupata philosophantium natio, veritatis numen haëtenus neglexerat, prosterneret.

§. V. Praeter has causas autem, fatendum, alias quoque concurriffe, specie quidem minus honestas, et vituperandas magis quam laudandas, at quae ex accidenti, ita dirigente Numinis prouidentia, eclecticam philosophiam mirifice promouerunt. Inter eas odium in philosophos sectarios, maxime Peripateticos, aliosque ex vulgo eruditorum plurimum ad noua audenda contulisse, et contradictionis studium ad experiendum nouum iter compulisse, exempla satis superque loquuntur. Certe IORDANVM BRVNVM hoc imprimis calcari concitatum nouam philosophiam tentauisse, haec verba eius e) produunt:

*Mensurae inspirato mihi vera inde elementa
Vt sophiae species longum suppressa per acuum
Emicet atque aegras vultu reuocata sereno
Soletur mentes errorumque excruciantes
Discutiat nebulas. Populus superabimus vnum,
(Clamauit quondam sceleroso Monachus ore,)
Saxa trabeisque super totosque inuoluit montes.
Obruite immanis cumuli sub pondere Caecum
Viucemque animam missis elidite syluis,
Oibrynque arboribus spoliare et Pelion umbris,
Vt tam crescat onus, ne habeat quas spiritus auras.
Concipiat, frustra tentet se tollere in altum,
E dorso obducti reuoluto pondere mundi.
Iam Deus adsurgit melior, glomeramina coeca
Disiiciens, fortique manu tanto aggere vulso
Praecipit illustrem magis imo exsurgere fundo.*

Haec enim non in sophistas modo diu ante nos inuolabilis philosophiae
simpli-

e) De minimi inuentione L. I. c. 1. p. 97.

simplicitatem commentationum multiplicatione, excussionibus atque quaestionibus pro ingenii ostentatione obruentes; sed in nostra quoque tempora dicere in adiecta expositione prosaica fatetur, qua praesumptuosorum et arrogantissimorum grammaticorum diluuium, recitatis a fonte Graecorum textibus, synopsis, erotematibus etc. (Philippi scholam fugillare, et Itolorum quoque Peripateticorum curas pungere videtur) philosophiam in extremam confusionem perduxisse conqueritur. Iunxit se apud nonnullos odio vulgaris philosophiae ambitio, noua, insolita, paradoxo et a communi philosophantium sensu abeuntia sectandi studio se efferens. Quae licet haud raro monstrosa dogmata parere soleat, accidit tamen, ut progressu temporis, cum elegantes veritatis vultus conspiceret coepisset, simpliciore mente et rectiori sensu in ea via procederet, et se ipsam quasi ad amplectendam veri disciplinam castigaret. Tandem ipse rei insolitae successus felix et inexpectatus mirum in modum promouit philosophiae eclecticae studium. Quod initio quidem sola doctrina philosophiae naturalis experta est, quae omni expectatione maiora incrementa cepit ex quo expirante seculo XVI in Italia primum, auctore Telebio, nouum iter tentatum et in rationes naturales non mediis dialecticis, ut Peripatetici solebant, sed experientia ministra inquiri coeptum est. Tum enim societates istae philosophicae primum conditae sunt, quarum studiis et industriae nouum philosophandi genus amplissime promotum est. Quod dein exemplo fuit viris doctis, ut in reliquis philosophiae partibus similia susciperent. Quo pacto rationali primum, et tum demum morali philosophiae nouus honor additus, et eclectica in iis methodus est adhibita. Donec nouo quasi orbe philosophico, auctore et duce Verulamio, prodeunte meliora ingenia certatim hanc viam ingrederentur, quibus imprimis Cartesius et Gassendus exemplum praeiure, ducesque se praebuerunt. Quos acumine ingenii, libertate philosophandi, felicitate inuentionis, gloria nominis superauere seculi XVIII lumina. De quibus iam in sequentibus ex instituto dicere, et qua ratione tum philosophiam in genere, tum singulas philosophiae partes adiuuerint, pro instituti modo et limitibus enarrare pergemus.

*Philosophia
eclectica
sectis carens.*

§. VI. Respuere philosophiam eclecticam, sectas earumque nomina, ex eius indole est manifestissimum: impossibile itaque eius historiam per sectarum discrimina, ut haecenus a nobis factum, describere: licet conamina nonnullorum tandem in sectarium aliquod studium deserint, id quod imprimis Cartesio accidit, qui cum maxime eclectice philosopharetur, incertum tamen, an ambitionis cupiditate, ut nouae sectae auctor haberetur, vel discipulorum contentione tandem sectae confluendae occasionem ministravit, cuius historiam suo loco accurate trademus. Id enim non methodi, sed hominum, vitio tum accidit, et hodie quoque apud nonnullos solet accidere: ipsi tamen et modo et libertati philosophandi derogat plane nihil. Nuper demum vir quidam celeberrimus, et iudicii acumi-

acumine praestantissimus *f* eclecticorum agmina in duas familias diuisit, metaphysicam et mathematicam, quarum illa a Cartesio haec a Gassendo ceperit initium. Has ita distinctas esse vult, vt illa ratiocinando, haec experiundo magis et obseruando verum inueniri posse statuat, illa pauca sensibus, plurima meditationi et rationi, haec pauca rationi, plurima sensibus et rerum contemplationi tribuat: illa paucis ex metaphysicorum praeceptis longam dogmatum seriem ducat, viamque sibi per haec ad Dei, animorum, corporum, totiusque vniuersitatis naturam certe et accurate cognoscendam patere confirmet: haec metaphysices decreta haud quidem respuat, at sufficere neget ad perfectum philosophiae aedificium extruendum: contra diuturnum vsum, assiduam rerum considerationem, repetitam saepius periclitationem optima discendi et proficiendi adiumenta esse contendat: illa multa exploreate nobis esse cognita existimet, et facile se se adduci ideo patiatur, vt in artis et disciplinae formam praecepta sua cogat; haec infinita nos fugere putet, suosque de innumeris rebus, nihil, quam dubitare, doceat, dum tempus et vsus maiorem lucem afferat; systemata denique vt vocantur conscribendi officium aut plane vires superare mortalium censeat, aut posteris committere iubeat. Non refragabimur, si quis hac distinctione vti velit, quae in se vera est, et modum philosophandi recentiorum multorum luculenter describit; malumus tamen ab ea abstinere, eo quod illi, qui metaphysici vocantur, non tantum fuerint mathematici primi ordinis, sed et mathesi in hac philosophandi methodo, pluribus modis fuerint vsi: hi vero qui mathematici dicuntur, in solis theorematibus et propositionibus particularibus haud haereant, sed ad metaphysica axiomata ascendant: id quod exemplo Mallebranchii et Leibnizii, qui principes sectae metaphysicae constituuntur, itemque Io. Lockii et Isaaci Newtoni, qui agmen mathematicae familiae ducere dicuntur, attento Lectori facile constare potest. Paulo, nisi fallimur, luculentius dixeris, diuidi in duas classes eclecticicos philosophos recentioris aetatis posse, syntheticam et analyticam. Et synthetici quidem illi nobis sunt, qui paucis nonnullis iisque vniuersalissimis axiomatibus vsi, ad rerum genera speciesque et indiuidua quoque contemplanda descendunt, hisque obseruationes et experientiam disciplinarum mathematicarum et physicarum accommodant, in quo philosophandi genere nemo superauit illustrem Leibnizium. Analytici autem illi nobis dicuntur, qui ad rerum singularium naturam experientia et calculo detegendam attendi, hypotheses inde construunt, ex quibus de natura rerum vniuersali deinde disputant. Mixtum tamen ex his duabus classibus philosophorum eclecticorum genus dari, quod de rebus ad spirituales naturas pertinentes synthetice disputat, de rebus autem corporeis resolutionis via vititur, non est, quod negemus. Posthabito itaque familiarum discrimine potiores primo eclecticicos philosophos, qui in vniuersa philosophia emendanda aciem fre-

B 2

gerunt,

f) Summe reu, М о ђ н е м л в њ Hist. Christ. recent. Sec. XVII. f. 1. c. 4. §. 31. p. 403, seqq.

gerunt, et immortale inde nomen consecuti sunt, accurate enarrabimus, vitaeque atque philosophandi rationes ab iis adhibitas explicabimus; tum per singulas disciplinas philosophicas eundo, quid magnorum virorum diligentia in iis singulare nouumque praestiterit, pro instituti modo explanabimus. Cuncta enim referre, esset singularum disciplinarum philosophicarum peculiarem condere historiam, id quod et scopo nostro aduersatur, et res infiniti fere laboris est. Indicabimus tamen fontes, ex quibus curioso Lectori plura haurire copiose liceat.

CAPVT SECVNDVM.

DE IORDANO BRVNO NOLANO.

§. I.

*Scriptores de
Iordano Bruno.*

Primus, quantum quidem nobis constat, qui totum philosophiae circulum mutare, et philosophiam dare nouam eamque abstrusissimam ausus est, fuit IORDANVS BRVNVS, a patria NOLANVS dictus. Cuius viri tanta est in historia ciuitatis eruditae recentiori celebritas, vt pauci, qui acta literaria seculi XVI, vel per transennam inspexerunt, censendi sint, qui eum et opinionum *παράδοξων* nouitate et tragico vitae exitu famosum ignorent. Miramur itaque deesse hodiernum accuratam, quam tamen res eius valde memorabiles omnino merentur, huius viri historiam, et quaecumque de eo scripta sunt, sunt autem illa plurima, scopas magis dissolutas esse, quam criticam tractationem, multa erroribus infecta, pleraque manca et imperfecta esse. Cuius potissima nobis causa videtur esse insignis raritas librorum Bruni, qui adeo disparuere, vt non nisi in instructissimis bibliothecis inueniantur, nullibi autem pene omnes deprehendantur, sed dispersi passim lateant, vnde difficillimum est, consultis omnibus eius viri res atque placita enarrare. Accedit vita hominis vaga, defultoria et incerta, qua factum, vt de rebus eius parum innotuerit, et pleraque coniecturis magis detegi, quam certis testimoniis disci possint. Exorandus itaque nobis Lector est, vt si nostra quoque non fecerit satis tractatio, qui praeter excerpta a viris doctis ex Bruni liberis facta, non nisi vnicuique Bruni libro philosophico *de Minimo*, iisque quos de arte Lullistica scripsit, vt potuimus, non negligentiam accuset nostram, sed memoriarum de hoc viro inopiam. Consulemus autem, quotquot nobis feliciores vel eius libros passim inspexerunt, vel de rebus eius narrationem aliquam dederunt, et adhibito iudicio, quid secundum leges fidei historicae statuendum sit, candide exponemus, nostramque modeste explicabimus sententiam. Et inter illos quidem, qui de vitae eius circumstantiis quaedam tradiderunt, primo loco collocandus est